



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Quæstio VI. De legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, &  
Cessatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

tur a Cajet., Fern., Homob. apud eundem Dian. ratione magni lucri, quo carerent, si diebus festis non tonderent; quia homines aliis diebus propter occupationes non tondentur. Quod tamen improbat merito Suar.; Unde tantum ratione consuetudinis toleratæ, ubi ea est, excusari possunt, ut notat Tambur., & Dian. part. 2. tract. 15. resol. 34.: Sicut excusantur ratione pietatis puellæ, quæ die festo fiunt, vel aliud simile faciunt ad otium vitandum, & ne se ad fenestras conspiciendas exhibeant, ex Sã, Homob. contra Comitol.

Sexto, si fecisti votum conditionale, verbi gratia, Jejunabo, si consentiat Confessarius, non potes licite apponere impedimentum malis artibus, seu per vim, & fraudem, conditioni

non pendenti a voluntate tua, verbi gratia inducendo Confessarium malis artibus, ut non consentiat; quia sic conditio non penderet a voluntate Confessarii, sed tua, contra id, quod vovisti; poteris tamen bonis artibus, hoc est rogando, inducere illum, ut non consentiat. Ita Suar., & Laym. contra Sanch. apud Tambur. lib. 3. cap. 12. §. 6. num. 6.

Ex quibus omnibus patet, quomodo intelligendum sit illud axioma, *Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media*; intelligendum enim est de mediis commodis, & proximis, nisi gravitas præcepti, vel materiæ præceptæ suadeat etiam adhibere media difficilia, & tollere impedimenta etiam remota.

## Q U Æ S T I O VI.

### De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

**P**Lurima scitu digna continet hæc quæstio; Primo enim discutiemus, Quomodo lex explicanda sit? Secundo, quando lex extendi, quando contrahi debeat? Tertio, quomodo lex abrogetur, ita ut amplius non obliget? Quarto, Quanam excuset a legis obligatione, seu quomodo cesset legis obligatio? Num excuset vis, & metus? Num ignorantia, seu inadvertentia, & similia? Quinto inquiremus, num cessante fine legis negative, cesset obligatio legis? Demum nonnulla dicemus de cessatione finis legis contrarie.

#### ARTICULUS I.

##### De Legis interpretatione, & extensione.

*I. Verborum proprietas, alia est Naturalis, alia Civilis. Quando verba legis extendi debent, sumuntur etiam secundum proprietatem civilem.*

*II. Doctores interpretari possunt leges*

*ampliando illas interpretatione solum doctrinali, non auctoritativa. Quid de declarationibus Cardinalium?*

*III. Præter interpretationem legis Authenticam, & Doctrinalem datur etiam Usualis.*

*IV. Undenam mens Legislatoris conjici potest, ut deur legi apta interpretatio?*

*V. Varia regula assignantur a Doctorebus ad rite leges interpretandas.*

- VI. *Quandonam particula disjunctiva  
Sive sumenda sit pro copulativa?*  
VII. *Quomodo sit interpretanda lex,  
qua uni est favorabilis, alteri ve-  
ro odiosa?*  
VIII. *Quid si verba legis habeant plu-  
res sensus, nec constet de mente  
Legislatoris?*  
IX. *Quid si dubitetur an verba legis  
sumenda sint secundum propriam  
verborum significationem, an secun-  
dum communem, & usitatum?*

I. **N**otandum primo cum Sal. disp. 21. lect. 13., & aliis communiter, duplicem esse verborum proprietatem. Prima est Naturalis, non quia naturaliter verba aliquid significant, sed quia juxta primam institutionem, & in communi modo loquendi habent talem significationem; Sic V. g. verbum, Mors, significat mortem naturalem, & Filius significat filium naturalem. Secunda verborum proprietates dicitur Civilis; quia in jure aliquid aliud significat habens similitudinem aliquam cum significatione primava: Verbi gratia, Professio dicitur esse mors, non secundum proprietatem naturalem, sed civilem; & ideo dici solet mors civilis; Sic verbum, Filius, secundum proprietatem civilem, & quasi metaphoricam extenditur ad significandum filium adoptivum. Hinc quando lex extendi debet, verba legis sumuntur secundum proprietatem tum naturalem, tum civilem; quando vero debet restringi, solum secundum proprietatem naturalem sumi debent.

II. Notandum secundo, licitum esse Doctoribus leges interpretari, non solum illas explicando, sed etiam ampliando, vel coarctando, juxta regulas articulo sequenti tradendas: ut constat ex usu, & praxi, & ex leg. 1. ff. *Si Certum petatur*. Neque obstat caput *Sicut* 11. *quast.* 1. ubi di-

citur, Illius esse leges interpretari, cujus est condere. Nam ibi sensus est de interpretatione, quae habeat vim legis, non de simplici interpretatione doctorali, quae a Doctoribus fieri solet. Pius IV. sub poena excommunicationis prohibuit, ne ullum interpretationis genus edatur super Tridentini decretis, sed Sayr., Suar., Sal., Bonac. punct. 8. putant, id intelligendum de interpretationibus factis ex professo, & quasi auctoritative, & per modum legis; sicut etiam de interpretationibus frivolis, non de illis, quae in re dubia reverenter, & humiliter fiunt per modum doctrinae.

Declarationes Cardinalium maximae auctoritatis sunt, sed non habent vim legis, si habeant aliam expositionem probabilem, antequam publicentur; nisi adfit consensus, & auctoritas Papae, ut docet Bonac., Pal. contra Rodriq., Sal., Riccium. Quod si publicentur auctoritate Pontificis, habent omnia requisita ad veram legem, ut docent communiter apud Dianam p. 11. tract. 2. ref. 42. contra quendam doctissimum virum tacito nomine relatum a Rodriq. *quast.* 11. art. 2.

III. Notandum vero tertio, triplicem dari interpretationem, Authenticam, Usualem, & Doctrinalem. Prima fit auctoritate illius, qui potest legem condere, habetque vim legis, dummodo promulgetur. Secunda habetur ab usu, & consuetudine, quae dicitur esse optima legum interpretatio in cap. *Cum dilectus*, de *Consuetudine*; Et aliquando habetur etiam pro lege, ut dicemus quaestione sequenti. Tertia habetur a viro prudenti, & perito, quae idcirco suam habet probabilitatem: Quod si in ea omnes Doctores consentiant, talis etiam interpretatio habet vim legis; quia alia interpretatio contra communem sensum Doctorum vix potest esse probabilis. Hjs explicatis

IV.

IV. Quæritur, Quanam regula servanda in legis interpretatione?

Respondeo, ad veram legis interpretationem observanda esse verba secundum eorum significationem tam naturalem, quam civilem, necnon mentem Legislatoris, & finem legis; qui tum ex materia præcepta, tum ex præmio Constitutionis solet cognosci; cum in eo soleat apponi causa finalis legis. Mens autem Legislatoris inspicienda solum est, ut apta detur interpretatio verbis: Quod si verba nullatenus mentem Legislatoris significant, hæc nullam parit obligationem; quia, ut communiter Doctores docent, lex non constituitur voluntate Principis, nisi per legis verba sufficienter exprimatur. Conjicitur autem mens Legislatoris, Primo ex legis materia; Si enim verba legis in sensu proprio intellecta traherent injustitiam, interpretanda sunt in sensu improprio; quia hæc præsumitur mens Legislatoris. Deinde ex contrarietate cum aliis legibus; non enim præsumitur, quod Legislator velit aliis legibus derogare, aut illas corrigere; quia correctio legis est odiosa: Unde Jurisperiti cum Imola, & Felino apud Merollam docent, correctionem legis esse vitandam, etiamsi verba posterioris legis minus proprie oporteat interpretari, dummodo servetur aliqua proprietas verborum, saltem secundum consuetudinem juris. Tertio ex ratione legis in ipsa lege expressa; quia ratio legis est veluti anima legis, ut docent communiter Doctores: Et quamvis Suar. lib. 6. cap. 1. putet, verba legis magis deservire ad mentem Legislatoris indagandam, quam rationem legis; quia verba sunt quasi legis substantia, & immediate continent voluntatem Legislatoris; Jurisperiti tamen cum Merol. docent oppositum; quia verba legis comparantur ad rationem legis, sicut corpus ad

animam; unde si verba legis sine specialia, & ratio sit generalis, verba extenduntur, & ampliantur juxta generalitatem rationis; Et e converso, si verba sint generalia, & ratio specialis, verba restringuntur ad limites suæ rationis: Quod verum est, si ratio legis sit expressa in lege, si ratio legis sit unica; Quod si ea sit multiplex, indagandum a conjecturis, quanam ratio moverit Legislatorem ad legem ferendam. His annotatis

V. Prima regula ad Legislatoris mentem indagandam, & ad assequendam legis obligationem est ex Suar., Sal., Pal., quod in legis interpretatione servetur proprietas verborum, & secundum illam proprietatem intelligatur, legem latam esse: Ratio est, quia Legislator debet uti verbis claris, & in significatione propria; aliter nihil firmum stabiliret, & omnes leges subderentur cavillationibus: Quod usque adeo verum est, ut si Legislator extra legem dicat, se aliter intelligere, quam ipsa verba sonant, non teneamur stare ejus interpretationi, nisi talem declarationem promulget, & velit, ut tanquam nova lex obliget. Hanc tamen regulam limitant aliqui, nisi proprietas verborum opponatur alteri legi, quia juris correctio vitanda: Sed Pal. docet, vitandam quidem esse juris correctionem, si in aliquo sensu proprio possint verba accipi, non tamen debere in sensu improprio accipi ad vitandam juris correctionem, quia leges essent expositæ æquivocationibus, & fallaciis. Tunc solum debent, ut supra diximus, accipi verba legis in sensu improprio, quando in sensu proprio accepta sequeretur aliqua absurditas, vel injustitia, seu iniquitas Legislatoris; aut si lex in sensu proprio esset omnino inutilis: Ideo lex Interdicti, ne reddatur illusoria, extenditur ad suburbia, quatenus nomine Civitatis veri-

unt

unt etiam suburbia; Et lex loquens de Testamentis intelligi etiam debet de Codicillis, ut habet Glossa cap. ult. *de Usuris in 6.* ne fiat inutilis dispositio; & quia accessorium sequitur naturam principalis; Sic pariter in *leg. 4. ff. Ad Macedonium*, ubi prohibetur mutuum, sub nomine mutui venit etiam venditio pecunia credita, aliter illuderetur lex.

Secunda regula est, quod in lege pœnali, & præceptiva servanda sit solum proprietas verborum naturalis, seu quæ communi hominum acceptione, & usu habetur: In lege vero favorabili non solum attendi debet proprietas verborum naturalis, sed etiam civilis, seu quæ habetur ex fictione juris, & per quandam similitudinem. Hinc, ut notat Merol. cap. 9. num. 24., in dispositione legis favorabilis nomine filii veniunt etiam nepotes; Sicut Christus Dominus dicitur filius Abrahæ; At in dispositionibus humanis, seu in contractibus nomine filii non veniunt nepotes, ut communiter Doctores; Sic etiam in materia favorabili nomine Nepotis veniunt filii, & fratres, vel sorores, ne non consanguinei, & affines; At nomine filii in lege pœnali venit solus filius legitimus; quamvis in lege favorabili veniat etiam adoptivus; Sicut nomine legitimi in favorabilibus venit etiam legitimatus, & nomine Religiosi venit etiam novitius. Ratio est, quia ex regulis juris constat, Odiâ esse restringenda, favores ampliandos. Hoc tamen intelligendum, nisi necessitas, vel specialis aliqua ratio cogat, in alio sensu legem accipere; Sicut enim in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus; ita in generali prohibitione, vel præcepto non veniunt ea, quæ non esset Legislator in specie verisimiliter prohibiturus, vel præcepturus; cum lex ab ejus volun-

tate pendeat, ut notat Suar. lib. 6. cap. 5., & alii fere communiter agentes de Epikeja contra Antonium Gabrielem apud Pal. Præterea lex odiosa restringenda est etiam citra naturalem proprietatem verborum, si aliqua ratio restringendi subsit, ut notat Merol. disp. 4. cap. 9. num. 19., & cap. 6. n. 15., ideo lex odiosa loquens de Monachis, & Monialibus non comprehendit Abbatem, & Abbatissam; & loquens de Clericis secundum se non comprehendit Canonicos, aut Sacerdotes, aut Clericos religiosos; Immo probabiliter ex eodem Merolla nec Clericos conjugatos.

Tertia regula est ex Sanch. lib. 2. disp. 24., ut legem novam interpretari debeamus secundum antiquam, etiamsi antiqua sit abrogata; ut colligitur ex leg. *Nihil, ff. de Coniugendis cum emancipato liberis.*

Quarta regula est, ut nova lex non intelligatur derogare priorem, nisi sit illi omnino contraria; quia ex leg. *Præcipimus, Cod. de Appellationibus* correctio legis vitanda est, quoad fieri potest. Quare si lex prior sit specialis, ac pro aliquo casu, & posterior sit universalis, dicendum, quod posterior intelligi debeat juxta limitationem prioris, nisi expressis verbis illi contradicat. Immo si in lege posteriori habetur clausula, Non obstante alia lege, non per hoc intelligitur derogari priori legi, nisi illi esset contraria. Unde si per aliquam distinctionem, & limitationem lex specialis prior sustineri potest, retinenda est, ex Sanch. loc. cit., & Pal.; Qui punct. 3. §. 3. advertit ex Sal. disp. 21. sect. 6., & aliis communiter, per legem generalem non censeri derogatas consuetudines, & constitutiones Provinciarum speciales; quia cum istæ constitutiones ad factum pertineant, illarum ignorantia præsumitur in supremo Legislatore; Secus vero si Legislator præ-

suma-

sumatur scire particulatam constitutionem Provinciarum, & habeat facultatem eam abrogandi, & praesumatur velle abrogare, ex cap. 1. de Constitutionibus in 6.

VI. Quinta regula: Ista particula, seu, & sive, quamvis Bartol. putet in materia favorabili sumi pro particula, Et, videlicet copulative; & in materia odiosa pro particula, vel, videlicet disjunctive; Sal. tamen, Azor., Bonac. putant, tunc accipi copulative, quando apponuntur post aliquem terminum universaliter, & pluraliter dictum, aut si indefinite apponantur; ut si dicatur, Lego tibi vina, quae habeo, sive domi, sive Rure, ex leg. Si quis ita legaverit, ff. de Argento, & Auro. Vel si dicatur, sive in Urbe ea sint, sive rure; hoc est in Urbe, & rure; Quod si apponatur post aliquem terminum particularem, accipitur disjunctive; ut si dicatur, Lego tibi vestem meam, seu librum. Et ex Suar. lib. 2. cap. 6. num. 13. ipsa particula, Vel, sumitur pro copulativa, Et, quoties illa, inter quae ponitur, sunt ita inter se connexa, ut non separantur.

Sexta regula: Quando Principale non tenet, nec tenet accessorium, ex cap. 5. de Donationibus inter virum & uxorem.

Septima regula: Quando consuetudo legem declarat, illi standum, quia est optima legum interpret, ex leg. Si interpretatione, ff. de legibus.

Octava: Masculinum in favorabilibus comprehendit foemininum; in contractibus vero illud non comprehendit; Vide alias regulas levioris momenti apud Sal. disp. 21. sect. 7.

VII. Rogabis nunc primo circa secundam regulam; An possit dari, & quomodo interpretanda sit lex, quae sit simul favorabilis uni, & odiosa alteri?

Respondeo cum Suar. lib. 6. cap. 4.

Sal., Bonac. num. 13.; & aliis communiter, posse dari hujusmodi legem, quae simul sit favorabilis, & odiosa: Haec tamen si primario profit aliquibus, & aliis noceat secundo, dicitur simpliciter favorabilis; Si vero primario poenam contineat, etiamsi aliis faveat, dicitur simpliciter odiosa. Hoc posito, quando favor, & odium distingui nequeunt, tunc explicanda est, ut favorabilis, si ex primario fine sit favorabilis; & explicanda est, ut odiosa, si ex primario fine sit odiosa. Ratio est, quia aliam expositionem ea rationabiliter non admittit, ut notat Sanch. lib. 1. disp. 1. num. 4. apud Sal. disp. 21. sect. 4. num. 10. Si vero favor, & odium distingui possunt, lex, qua parte est favorabilis, interpretanda est ut favorabilis, qua parte est odiosa, & poenalis, interpretanda ut odiosa; nisi favor sit tanti momenti, ut simpliciter explicanda sit, ut favorabilis.

VIII. Rogabis secundo; Quando verba legis habent plures sensus proprios, nec constat, quem sensum Legislator intenderit, quamnam interpretatio facienda est?

Respondeo, ex regula 68. de Regul. juris in 6., faciendam esse interpretationem juxta sensum, qui magis convenit rei, de qua agitur; Quod si uterque aequae conveniat, adeundus est Legislator, cujus est legem interpretari; Quod si commode adiri non possit, in poenis strictior pars, in favorabilibus latior explicanda est: Et ideo communiter Doctores docent, quod si lex prohibeat aliquod delictum sub aliqua poena, verbi gratia adulterium, intelligenda sit de delicto consummato in sua specie; Et si imponatur poena mittenti Epistolam Monialibus, intelligendum est, si perveniat, ex Sa V. Lex num. 25., & Bonac. hic num. 18.

IX. Rogabis tertio; quando verba le-

legis duplicem habent sensum, alterum secundum propriam verborum significationem, alterum secundum communem loquendi modum, qualis interpretatio facienda est?

Respondeo, explicari debere juxta communem modum loquendi tunc usitatum, quando lex condita fuit; nam Legislator uti debet verbis juxta communem modum loquendi: In dubio tamen, an verba legis accipienda sint juxta communem loquendi modum proprium, an juxta communem loquendi modum improprium, tunc conjicienda est mens Legislatoris, prout diximus. Nam ex leg. *Non dubium ff. de legibus, Peccat contra legem, qui verba legis amplectens, contra Legislatoris nititur voluntatem.*

## ARTICULUS II.

Quandonam lex restringi, aut extendi debeat?

- I. *Lex odiosa aliquando restringi potest vi Epikeja in casu, qui non videtur verbis legis comprehensus.*
- II. *Num possit lex extendi ad casum verbis legis non comprehensum, vel ob paritatem, vel ob identitatem rationis?*
- III. *In legibus poenalibus non datur extensio de casu ad casum relate ad poenam; imo nec relate ad obligationem.*
- IV. *Nec datur hujusmodi extensio in legibus correctoriis; Aut in dispensationibus, aut privilegiis alicui factis, quae exorbitant a jure communi. Immo probabiliter nec in legibus favorabilibus.*
- V. *Extendenda tamen qualibet lex, quando, nisi extendatur, Legislator argueretur injustitia, vel imprudencia.*
- VI. *Similiter in equiparatis, & in connexis.*

VII. *Lex prohibens monialibus, ne egrediantur, nisi ob incendium, lepra, &c., num se extendat ad casus similes?*

VIII. *Num Bulla contra Confessarios, qui sollicitant mulieres ad turpia, se extendat etiam ad masculos?*

I. **Q**uæritur primo, An lex odiosa restringi possit vi Epikeja in casu, qui non videtur lege comprehensus ob suas circumstantias?

Respondeo, posse; ut dicemus articulo ultimo, cum de Epikeja excusante ab obligatione legis.

II. Quæritur secundo, Utrum lex extendatur ad casum non comprehensum verbis legis ob paritatem, vel identitatem rationis; verbi gratia, Utrum lex prohibens aliquid Monachis (ut prohibetur esse Paternos Baptismi, vel Confirmationis apud Dian. part. 9. tract. 1. resol. 32.) intelligatur idem prohibere omnibus Regularibus, si similis, vel eadem ratio militet pro his, quam pro illis? Sic in *Clement. 1. de Electionibus* cavetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus Religiosus alterius Religionis, vel habitus; Et redditur ratio, quia ratio non congruit, ut homines disparis Religionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur; hæc autem ratio æque militat, ut notat Glossa, pro Monialibus; Unde quæritur, an etiam Monialibus intelligatur id prohibendum?

Respondeo, certum esse, quod si unus casus, videlicet unum crimen, seu una persona sit expressa in lege generali solum causa exempli, etiam alii casus non expressi intelliguntur comprehensi sub tali lege: Verbi gratia, si lex imponat poenam contra furtivos centum aureos, extenditur etiam ad eos, qui furripiunt res alias ejusdem valoris; quia lex censetur generalis, & centum aurei ponuntur exemplariter.

Quan-

Quando tamen non ponitur unus casus gratia exempli, tunc prima opinio est Merol., qui cum pluribus utriusque juris Doctoribus docet, quod si ratio eadem militet pro casu comprehenso sub lata verborum forma, & pro non comprehenso, bene fiat extensio de illo casu ad istum. Sic in cap. *Postquam*, de *Electionibus* in 6., ubi lex præcipit alicui, ut ad Curiam veniat, intelligitur etiam præcipere, ut si in Curia sit, ab ea non discedat, aut si venerit, ab ea non discedat sine licentia, antequam perficiatur negotium. Et ratio doctrinæ est, quia ratio legis (præsertim si sit in lege expressa) sufficienter indicat, mentem Legislatoris esse præcipere quicquid talem rationem æqualiter induit; ergo tam dispositio legis videtur esse universalis, quam ejus ratio, quamvis verba id non expriment: Sicut cum quis detestatur peccatum furti, quia est offensa Dei, virtualiter extenditur ad detestandum etiam homicidium, & alia crimina, quæ pariter sunt Dei offensa, ut docent communius Theologi. Præterea ratio legis ad verba legis se habet, sicut anima ad corpus, unde sicut anima corpori dominatur, ita ratio verbis. Requirit tamen Suar. lib. 6. cap. 3. num. 16. contra Panormit., quod ratio legis, secundum quam fit extensio, sit ratio legis non solum finalis, sed etiam adæquata, adeo ut censeatur etiam comprehendere casum non expressum. Hinc infert Merol. cum Bald., & aliis contra Genuens., quod Regia Pragmatica 3. tit. de *Monialibus* prohibens propter honestatem, ne vicini extollant ædificia, itaut possit inde haberi prospectus in claustra Monialium, procedat etiam in favorem Monachorum; quia ratio honestatis, quæ adducitur in lege, æque militat pro Monachis.

Neque solum talis extensio facienda est in lege favorabili, sed etiam in

Pars I.

pœnali, ex Merol., Navar., Sylvest., Guttier., & aliis; quoad obligationem tamen dumtaxat legis, non vero quoad pœnam; Nam ex regulis juris, Pœnæ non sunt extendendæ, & ampliandæ, sed potius restringendæ; Proinde putant primo, quod lex prohibens extractionem frumenti sub aliqua pœna, extendatur etiam ad prohibendam extractionem farinæ, vel panis, ut docent multi Jurisperiti contra Bald., & alios; unde peccet, qui farinam, aut panem extrahit, sed non incurrat pœnam a lege impositam extractioni frumenti: Putant secundo contra Navar., Tolet., Sanch. lib. 7. disp. 45. num. 13., quod lex obligans eos, qui parochiale beneficium receperint, ut intra annum ad Sacerdotium promoveantur, (ut habetur in cap. *Commissa*, de *Election.*) sub pœna privationis beneficii, & restitutionis fructuum, extendatur etiam ad eos, qui alia beneficia, quam Ecclesias parochiales accipiunt, puta Canonicatum, Dignitatem, &c.; quamvis non incurrant dictam pœnam, si non assument Ordines talibus beneficiis annexos, ut volunt Rebuf., & Adrian.: Putant tertio, quod lex prohibens venditionem alicujus rei sub aliqua pœna, obliget etiam emptorem, quamvis emptor non incurrat pœnam latam contra venditores.

Secunda opinio probabilior est Bonac. num. 26., & Pal. punct. 3. §. 4., ac aliorum putantium, quod neque in lege pœnali, neque in lege favorabili detur extensio ad alios casus non comprehensos sub lata verborum forma, neque ob similitudinem, neque ob identitatem rationis. Sic in *Clement. 1. de Electione* prohibetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus Religiosus alterius Religionis, vel habitus, propter rationem adductam, & tamen ex Glossa permittitur, quod Religiosus eligatur in E-

P

pi-



piscopatuum Ecclesiæ Cathedralis; cum tamen eadem ratio magis militet, ne eligatur in Episcopum, quam in Abbatem: Et ratio a priori est, quia ratio legis non est lex; ergo quamvis militet pro alio casu non comprehenso sub lata verborum forma, lex talem casum non comprehendit; potuit enim Legislator unum casum velle comprehendere, non alium, quamvis eadem ratio pro utroque militaret; quia non expedit semper omnia prohibere, aut præcipere, etiamsi in illis eadem sit ratio: Quando autem verbis legis unum casum comprehendit, non alium, signum est, quod circa illum voluerit legem ferre, non circa istum, ut potuit facere. Præterquamquod potuit Legislator ob aliquam rationem nobis ignotam velle, ut unus casus lege comprehendatur, non alius, quamvis nobis videatur eadem ratio pro utroque casu militare; Et hoc præsumendum est nobis de Legislatore, quia semper præsumi debet, quod Legislator prudenter operetur. Adde, quod sicut qui dispensat relate ad unam personam, non ideo dispensat relate ad aliam, relate ad quam eadem ratio militat, potest enim cum una velle dispensare, non cum altera; quia non expedit ad bonum publicum cum omnibus dispensare, quamvis eadem sit ratio cum omnibus, nec expedit, quod cum nemine dispenseatur; ita dicitur de prohibitione, quæ potest unum casum prohibere, non alium, in quo eadem esset ratio.

Neque dicas, voluntatem Legislatoris cognosci ex ratione legis; ergo si ratio legis æque militat pro casu comprehenso sub verbis legis, & pro non comprehenso, voluntas Legislatoris est, utrumque casum lege contineri. Negatur enim consequentia; nam ex ratione legis solum cognoscitur, quomodo verba secundum eorum proprietatem sint interpretanda;

at si verba secundum omnem eorum proprietatem unum tantum casum comprehendunt, non alium, dicendum Legislatorem voluisse, unum casum lege contineri, non alium, in quo eadem, vel similis ratio militat.

III. Hinc infertur primo, in legibus pœnalibus non dari extensionem de uno casu ad alium, non solum relate ad pœnam, quod omnes Doctores concedunt, teste Pal. loc. cit. num. 3., sed neque quoad obligationem, ex Sal. disp. 21. sect. 5.; Sanch. lib. 10. disp. 4. num. 3.; Suar. lib. 6. cap. 3. num. 5., tum quia odia debent restringi; tum etiam quia sicut liberum est Legislatori obligare ad pœnam in solo casu sub verbis legis comprehenso, non in alio, ita liberum fuit obligare simpliciter in eo casu, non in alio; tum demum quia si lex pœnalis extenderetur ad obligandum in alio casu propter identitatem rationis, deberet etiam extendi ad pœnam, quæ est accessoria legi.

IV. Infertur secundo, neque in legibus correctoriis dari huiusmodi extensionem; quia correctio legum est etiam odiosa, atque adeo restringenda potius, quam amplianda.

Infertur tertio, quod sicut in privilegiis, & dispensationibus non datur huiusmodi extensio, ita nec in legibus exorbitantibus, seu quæ deviant a jure communi ob aliquem specialem favorem alicui factum; tum quia istæ leges assimilantur privilegiis, & dispensationibus; tum etiam quia quæ a jure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda, ex regula vulgari juris: Exempli gratia in leg. *Patria*, ff. *ad legem Juliam* conceditur Patri, ut possit imperare occisionem filie in adulterio deprehensæ; hæc tamen lex non extenditur, etiamsi eadem ratio militaret pro Patre, & pro Avo.

Infertur ultimo, neque in legibus

favorabilibus extensionem hanc esse faciendam. Ita Suar. cap. 3. num. 9., Bonac. punct. 8. num. 26. contra Panorm., Sylvest., & Felin. apud Suar. loc. cit. & lib. 6. cap. 4. Nam si verba legis non se extendunt ad alium casum, nec lex extenditur, quamvis ratio extendatur; quia lex verbis exprimitur, & *Quod ex verbis non provenit, neque ex mente creditur provenire*, ut habetur leg. *Non aliter*, ff. de legatis.

V. In iis tantum casibus lex sive poenalis, sive correctoria, sive favorabilis extendenda est de casu ad casum, in quo est eadem ratio, quando si non extenderetur, Legislator argueretur injustitiæ, vel imprudentiæ; Si enim ad hæc vitanda, verba legis, ubi opus fuerit, sunt impropianda, a fortiori sunt extendenda; Immo non debet in tali casu dici proprie legis extensio, quasi a principio talem casum non comprehenderit; nam vere hunc casum huiusmodi lex comprehendit, vel ex verbis in lata significatione, vel ex ratione expressa in lege, vel ex alia circumstantia, ut constat adducendo casus, in quibus Doctores communiter docent, extensionem legis faciendam esse ob identitatem rationis.

Primo enim id accidit in correlativis; nam quod est dispositum in uno correlativo, censetur dispositum in alio, si eadem ratio militat pro utroque, ne Legislator injustitiæ arguatur: Sic ex eo quod ob adulterium uxoris maritus non teneatur reddere debitum, bene inferitur, quod neque uxor teneatur reddere debitum ob adulterium mariti: Sic etiam quia ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ dissolvantur sponsalia, ex cap. *De illis, de Sponsalibus*, bene inferitur, quod etiam dissolvantur sponsalia ob absentiam sponsæ sine licentia sponsi; Et quamvis hoc in lege non exprimitur,

debet tamen ad hoc extendi ob servandam æqualitatem, & justitiam: Sic pariter, quia maritus succedit in bonis uxoris, inferitur, quod uxor etiam succedat in bonis mariti, ne lex sit injusta.

Aliquando tamen Doctores dubitant, An eadem ratio vigeat pro utroque correlativo? Et ideo Ostiensis, & alii contra Sanch., Suar., & alios communius apud Merol. cap. 9. num. 130. putant, quod licet possit uxor communicare cum viro excommunicato, ex cap. *Quoniam multos* 12. *quest.* 3., non tamen vir cum uxore excommunicata, nisi solum in reddendo debito; quia vir facile potest compellere uxorem ad petendam absolutionem, & nisi compellat, ipsi imputatur: Contra vero, non potest uxor facile maritum ad id compellere. Sic Bordonus apud Dian. part. 7. tract. 7. resol. 13., & alii contra communiorem putant, quod si referretur sodomia, includantur solum agentes, non patientes; quia quamvis sint correlativi, non est tamen eadem ratio in utroque; Nani agens tantum in eo tactu impudico se polluit, & patiens solum cooperatur pollutioni; Unde Lug. de Pœnit. disp. 15. §. 5. num. 243. contra Dian. part. 6. tract. 6. resol. 36. putat, circumstantiam patientis, vel agentis explicandam esse in confessione, eo quod diversa specie malitia sit in utroque.

VI. Secundo, id accidit in æquiparatis, ex Sal. disp. 25. num. 13., nam quia in jure verbi gratia electio, postulatio, provisio, & præsentatio æquiparantur, ideo quod in lege disponitur de uno ex æquiparatis, censetur dispositum de aliis ob connexionem eorum, ex Glossa in cap. *Si postquam, De electione*.

Tertio, idem accidit in connexis; sive connexio sit ex jure, sive ex consuetudine; Verbi gratia quod disponitur

nitur de Vicario Episcopi, censetur dispositum de Vicario Capituli sede vacante; Et quod disponitur de Diaconatu, censetur dispositum de Subdiaconatu; Et constitutio disponens de gradibus consanguinitatis censetur disponere de affinitate, & de publica honestate, ex Suar. cap. 4. num. 8., & Pal. num. 12.: Qui etiam duo notat; Primum est, quod quando lex frequentioris usus causa aliquid decernit, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit, ut docent Doctores communiter cum Sanch. lib. 3. disp. 20. num. 3., & lib. 9. disp. 14. num. 16.; Secundum est, quod quamvis lex non extendatur ob similitudinem rationis ad casum sub lata verborum forma non comprehensum, Judex tamen in iudicando illam debet extendere; quia quando pro certo casu decidendo non habetur lex, decisio illius a similis casus decisione petenda est; Unde dici solet, quod casus similis expresso non sit omissus a lege, cum per ipsum decidi possit: Et per hæc patet ad rationes pro prima sententia.

VII. Dubitatur, An lex Pii V. prohibens Monialibus, ne a Monasteriis exeant, nisi causa incendii, lepra, Epidemia, &c., extendatur ad alios casus similes? Negant multi apud Merol. cap. 9. num. 140., quia Pontifex dicit nulla alia occasione, vel prætextu exitum licere. Sed communius affirmant, videlicet in invasione hostium, in ruina domus; in inundatione, in morbo gallico, aut contagioso; quia frequentioris usus causa illos casus expressit Pontifex; unde non videtur excludere casus minus frequentes. An autem possit Monialis egredi ad curandum morbum periculosum, sed non contagiosum, qui non potest intra claustrum curari? Affirmat De la Crux, quia nemo tenetur obedire præceptis Ecclesiae cum periculo vitæ;

Sed communius negant, quia id expedit communi bono; ut dicitur communiter de Chartusianis, qui non possunt vesci carnibus in ægritudine periculosa.

VIII. Dubitatur secundo, An Bulla Pauli V. contra Confessarios sollicitantes mulieres ad turpia extendatur ad masculos? Negat Fagund. Sed communius cum Merol. num. 151. affirmant; quia frequentioris usus gratia exemplificatur in mulieribus. Sic quando in aliqua Diocesi prohibetur Confessariis, ne audiant Confessiones in domo privata, nisi Infirmorum, probabiliter possunt etiam audire confessiones illorum, qui licet sani sint, non possunt e domo egredi.

### ARTICULUS III.

#### De Legis Abrogatione.

- I. In quo differat legis Abrogatio a Derogatione? Et quinam possit data causa legem abrogare?
- II. Num possit lex ab inferiore condita ab eodem abrogari, si ea confirmata fuerit a Superiore?
- III. Num possit Inferior in suo territorio legem Superioris abrogare, eo modo quo potest in ea dispensare?
- IV. Ut lex abrogeatur, non requiritur talis abrogationis publicatio.
- V. Quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare?
- VI. Quandonam fieri debeat prioris legis mentio, ut per posteriorem abrogeatur?
- VII. Lex posterior specialis, si sit contraria legi priori generali, solum illi derogat, non abrogat illam.

I. IN eo differt Abrogatio a Derogatione, quod Abrogatio legis fit sublatio illius secundum totum; Derogatio vero fit sublatio legis secundum partem. Certum autem est, le-

legem quamcumque posse valide, im-  
mo etiam licite iusta interveniente cau-  
sa abrogari ab eo, qui legem condi-  
dit, aut a successore, aut a Superio-  
re, vel priorem legem simpliciter tol-  
lendo, vel loco illius aliam legem fe-  
rendo.

II. Quæritur nunc primo, An lex  
condita ab inferiori, puta ab Episco-  
po, & confirmata a Superiore, puta  
a Papa, possit abrogari ab inferiori,  
Superiore inconsulto?

Respondeo, id negari a Barbosa,  
& Sanch de Matrim. lib. 8. disp. 17.  
num. 30., quia talis lex videtur esse  
Superioris, a quo confirmata est. Af-  
firmant alii cum Rodriq., Sylvest.,  
Sã, & eodem Sanch. lib. 3. Summæ  
cap. 15. num. 6., quia lex revera est  
inferioris, & qui legem condidit,  
potest illam revocare. Additque San-  
ch., & Merol. num. 13., id verum  
esse, etiam si in confirmatione facta a  
Superiore apponatur clausula illa, quod  
quicquid in contrarium factum fuerit  
irritum sit; dummodo lex confirmata  
fuerit in favorem inferioris legem sta-  
tuentis. Ratio est, quia sicut inferior  
statuens legem potest renunciare con-  
firmationi factæ in sui favorem a Su-  
periore; ita potest pariter renunciare  
tali clausulæ, quæ est accessoria con-  
firmationi. Tertio, alii distinguunt  
cum Merol. num. 17. dicendo, non  
posse legem abrogari ab Inferiore, si  
a Superiore sit confirmata ex certa  
scientia; Sicut excommunicatio lata  
ab Episcopo, & confirmata a Supe-  
riore ex certa scientia non potest ab  
Episcopo absolvi; Et collatio benefi-  
cii facta ab Abbate alicui Monacho,  
& confirmata a Pontifice ex certa sci-  
entia non potest ab Abbate revocari:  
Secus vero si confirmatio fuerit sim-  
plex, & in forma communi. Et ra-  
tio est, quia qui aliquid ex certa sci-  
entia confirmat, suum illud facere vi-  
detur, ex cap. Si Apostolica, de Præ-

bendis in 6. Quarta opinio probabi-  
lior est Suar. lib. 6. cap. 26. num. 16.,  
Bonac. quæst. 2. punct. 1. num. 16.,  
Sal., Pal., quod si confirmatio sit es-  
sentialis, seu ideo requiratur a Supe-  
riore, quia sine tali confirmatione lex  
non obligaret, tunc non possit ab In-  
feriore abrogari; quia lex habet vim  
obligandi præcise ex voluntate Supe-  
rioris obligantis; Et idem dicunt, si  
Superior velit tali confirmatione legi  
robur addere, faciendo illam suam:  
Secus vero, si confirmatio sit acci-  
dentalis, seu addatur mere ob quan-  
dam auctoritatem, & specialem splen-  
dorem; Et talis semper præsumenda  
est, nisi aliud constet.

III. Quæritur secundo, An inferior  
habens facultatem condendi leges in  
suo territorio possit condere legem  
contrariam legi Superioris, aut illam  
abrogare pro suo territorio?

Respondeo, aliquos apud Pal. num.  
4. id admittere in lege civili, non  
in Canonica; quia Prælati habent po-  
testatem condendi leges a Papa, &  
hic a Christo Domino, nec constat,  
Prælatos inferiores accepisse potesta-  
tem condendi leges a Communitate,  
quæ potuit sub ea conditione transfe-  
re hanc potestatem, ut quoties expe-  
diens visum fuerit bono publico abro-  
gari ab Inferiore leges communes,  
id efficere possit Inferior. Equidem  
tamen existimo cum Pal., & Suar. lib.  
6. cap. 26., nullum inferiorem posse  
legem Superioris abrogare, nisi expre-  
se data illi sit talis facultas. Nam Re-  
ges ipsi non acceperunt facultatem  
condendi leges a Communitate ipsi  
Communitati subordinatam; unde di-  
ximus, quod possit Rex cogere Com-  
munitatem ad legem acceptandam,  
aliter non Princeps, sed Populus esset  
superior.

Neque dicas, quod si potest infe-  
rior sæpe dispensare in lege superio-  
ris, poterit etiam illius legem pro suo  
ter-

territorio abrogare, quando id expedit bono communi. Nam disparitas est; quia hanc potestatem dispensandi habent inferiores ab ipsis superioribus; Et Episcopi habent a Papa; quia id expedit bono communi; non habent autem potestatem abrogandi leges Superioris. Et ratio ulterior est, quia dispensatio cum fiat ad unum, vel alterum casum, non ita vulnerat legem Superioris, sicut derogatio, vel abrogatio. Quare si aliquando lex communis non expedit bono Provinciae, petenda est a Superiore abrogatio pro tali Provincia, & interim lex servanda est; Nisi manifeste constet, aut saltem probabile sit, non potuisse, aut noluisse Superiorem pro tali occasione obligare; ut dicemus cum de Epikeja, ex Sal. disp. 21. sect. 10. num. 34., Suar. lib. 6. cap. 8. Immo si dubium sit, an voluerit Superior pro tali occasione obligare, nec possit consuli, distinguit Bonac. punct. ult. §. 2. num. 10. Si enim talis casus manifeste lege comprehendatur sub verbis legis, & solum dubitetur, an Superior ob circumstantias praesentes velit talem casum comprehendere, tunc lex servanda est; quia in dubiis melior est conditio possidentis, & lex in tali casu possidet; Nisi forte molesta esset legis adimpletio, unde ex benignitate Legislatoris praesumatur, quod nolit in casu dubio obligare, ut notat Sal. ex Henr., Cordub., Sylvest. apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7.: Contra tamen, si dubium sit, an casus sub verbis legis comprehendatur, lex non obligat, quia possidet libertas. Sed hac de re iterum articulo ultimo recurret disputatio.

IV. Quæritur tertio, Utrum publicatio ad abrogationem legis requiratur?

Respondeo, Vasq., Azor., & Sal. illam requirere; quia sicut lex non obligat, nisi publicetur, ita nec desinit

obligare per abrogationem, nisi hæc etiam publicetur. Negant tamen communius cum Cordub., Merol., Pal., quia plus requiritur ad obligandum, quam ad deobligandum; ideo, ut tollatur effectus obligationis, satis est, quod unum tantum requisitum desit. At, ut ponatur effectus, debent poni omnia simul requisita; Unde satis est, quod nolit Legislator amplius obligare, ut lex amplius non obliget; cum obligatio pendeat a voluntate Legislatoris. Sic pariter omnes Doctores docent, quod cessante evidenter iustitia, & utilitate legis, lex amplius non obliget nulla posita publicatione. Hoc tamen intelligendum est, si abrogatio sit pura, seu tollat tantum legis obligationem, non vero si sit mixta, seu si ita tollat prioris legis obligationem, ut aliam inducat; nam hæc nova obligatio non potest poni sine promulgatione ad omnem legem requisita.

V. Quæritur ultimo, quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare?

Respondeo, quod si lex posterior non sit priori contraria, illam non abroget, ut patet; Immo si possemus eam ita interpretari, ut non sit contraria, sic interpretanda est; quia legum correctio, cum sit damnosa Republicæ, vitanda est, quoad fieri possit, ex leg. ult., Cod. de Appellationibus; Utrum autem debeant accipi verba legis posterioris in sensu improprio ad vitandam legis prioris correctionem, disputant Doctores. Admittit Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 17. num. 6. cum Guttier.; Negant probabilius Sal., Suar. lib. 6. cap. 27., & alii apud Pal. num. 9.; quia sic nihil esset firmum in legibus; unde solum sunt improprianda verba ad vitandam legis injustitiam, vel ad summum inutilitatem. Quod si lex posterior sit priori aperte, vel directe contraria, illam abrogat, quamvis nec faciat illius mentionem.

tionem, nec habeat clausulam derogantem, seu abrogantem priorem; quia voluntas posterior vincit, & revocat priorem, supposita potestate in Legislatore; Si tamen in aliqua tantum parte sit contraria, tunc secundum illam tantum partem derogat legi priori, & non abrogat illam secundum totum.

VI. Infertur hinc primo, quod lex posterior, si sit generalis, abroget legem priorem pariter generalem, ex leg. *Non est novum*, ff. de legibus; Et eodem modo lex posterior specialis contraria legi priori speciali abrogat illam. Ratio est, quia non potest utraque subsistere, & cum sit adæquate illi contraria, debet integre illam abrogare: Bene tamen notant Azor., Bonac., & alii cum Pal. num. 7. contra Menoch., quod si prior lex firmata fuerit juramento de non abrogando illam, nisi illius fiat expressa mentio, non abrogetur per posteriorem non facientem mentionem de illa. Et ratio est, quia præsumi debet potius de principe ignorantia legis prioris, etiamsi inserta sit in jure communi, quam voluntas violandi juramentum de illa non abroganda. Notant præterea Sal., Suar., & Pal. loc. cit., quod secluso tali juramento, ut lex generalis, aut specialis posterior abroget legem generalem, aut specialem priorem, quæ sit inserta in jure communi, non sit necesse, ut lex posterior faciat mentionem prioris; quia præsumi debet de Principe, quod habeat notitiam juris communis, atque adeo quod velit priorem legem abrogare: Contra vero si lex generalis, aut specialis prior sit extra jus commune, non potest abrogari, aut derogari per legem posteriorem, quæ non faciat illius mentionem, quia non præsumitur edita ex certa scientia prioris legis, cum præsumatur ignorari a Principe ea, quæ sunt extra jus com-

mune, ex cap. 1. de Constitutionibus in 6.

Infertur secundo, quod si lex abroganda inserta in jure communi sit specialis pro aliquo loco, vel in speciali aliqua materia, lex posterior generalis illi contraria, si non faciat illius mentionem, illam non abroget, sed potius ex illa lege priori speciali limitanda sit posterior universalis. Ratio est, tum quia ex regula communi, generi per speciem derogatur; tum etiam quia si limitetur lex posterior generalis, adhuc utraque lex potest subsistere: ergo dicendum est ita Principem voluisse, cum non fecerit mentionem prioris, cujus præsumitur habere notitiam: Propterea Sanch. lib. 2. disp. 24. num. 6. addit, id esse verum, etiamsi in lege posteriori generali addatur clausula: *Non obstante ul- la lege priori contraria*; non enim censetur contraria lex prior specialis, quando utraque lex potest subsistere limitando posteriorem legem universalem: Exempli gratia lex prior specialis disponit, quod Instrumenta publica habeant executionem paratam; lex posterior generalis disponit, quod causæ pupillorum, & consanguineorum compromittantur; lex ipsa posterior generalis non corrigit priorem, sed ab ea declaratur, & limitatur, itaut causæ pupillorum, &c. compromittantur, nisi habeant Instrumenta publica parata, quia tunc super illis non debet fieri compromissio.

Addit Merol. num. 28., id esse verum, etiamsi lex prior specialis non sit inserta in jure communi, sed sit statutum particulare. Ratio est, quia præsumitur, quod Princeps ignoret statutum particulare, & ideo velit legem universalem limitare, itaut cum statuto particulari subsistat.

VII. Infertur tertio, quod si lex prior sit generalis, & posterior illi contraria sit specialis, hæc illi deroget, non vero abroget illam in totum; cum

cum non sit adaequate contraria. Ratio autem, cur illi deroget, est, quia alias esset inutilis; & quia ex cap. *Generi, de Regulis juris in 6.* generi per speciem derogatur: Supponimus tamen, legem posteriorem specialem factam esse sine ignorantia prioris juris generalis, seu communis; cum non praesumatur Princeps ignorare jus commune, ex cap. 1. *de Constit. in 6.*

## ARTICULUS IV.

Quas ob causas cesset legis obligatio?

- I. Novem de causis cessare potest legis obligatio.
- II. Vis, & Metus, qua solent a nonnullarum legum observantia excusare, in quo differant?
- III. Metus excusat etiam a nonnullis legibus Naturalibus, & Divinis.
- IV. Non excusatur, qui metu mortis simulat Sacramenti administrationem. Quid si simulat contractum matrimoniale?
- V. Num liceat Sacerdoti metu mortis sine Sacris vestibus celebrare? Ad dandum Viaticum moribundo sine iis vestibus celebrare non licet.
- VI. Ad mortis periculum effugiendum licitum est carnibus humani cadaveris vesci.
- VII. Quanam impotentia a legis observantia excuset?
- VIII. Num peccet, qui conjicit se in aliquod impedimentum, unde legem servare non possit?
- IX. Plurima alibi diximus de ignorantia excusante a legis transgressione, qua hic solum innuntur.

I. **M**ultifariam legis obligatio cessare potest. Primo, ratione violentiae ab extrinseco illatae. Secundo, ratione metus, seu periculi gravis damni. Tertio, ratione impotentiae. Quarto, ratione ignorantiae, seu

inadvertentiae. Quinto, propter legem posteriorem contrariam, abrogantem priorem, de qua diximus articulo superiore. Sexto, ratione consuetudinis contrariae, de qua dicemus quaestione sequenti. Septimo, ratione dispensationis, de qua etiam infra quaestione ultima. Octavo, ex cessatione causae finalis, & motivae, de qua dicemus articulo sequenti. Ultimo, vi Epikejæ, qua censeantur aliqui casus excepti; vel quia illiciti, vel quia nimium incommodi ex justa, & benigna Legislatoris mente, quod articulo ultimo examinabimus. Hic autem nonnulla dicemus de primis quatuor causis excusantibus a legum observantia.

II. Quæritur itaque primo; Quandonam vis, aut metus excuset?

Ut quaesito respondeam, explico terminos. Vis altera est absoluta, qua aliquis omnino invitus cogitur ad aliquid prohibitum faciendum, ut si quis manu ab altero per vim arrepta percutiat, vel occidat alterum omnino invitus; & hæc procul dubio excusat a peccato. Immo ex Diva Lucia nec officit Virginali innocentiae violentia invitæ illata; Altera dicitur Vis secundum quid, quæ idem est, ac metus, seu periculum probabile gravis damni, ut si quis metu mortis incenset Idolum; & hæc vis non tollit omnino voluntarium, nec excusat a transgressione legis naturalis, & Divinæ vetantis rem intrinsece malam; Excusat vero ab utraque lege non prohibente rem intrinsece malam, & a fortiori excusat a transgressione legis humanæ; exceptis casibus adductis quaest. 3. art. 2.; quando scilicet expedit ad bonum publicum, ut lex humana obliget cum periculo vitæ, & sic praesumitur superior velle obligare: Sicut tempore pestis obligantur subditi ad serviendum infirmis, & tempore belli ad custodiendam Urbem;

hem; & Chartusiani obligantur ad abstinendum a carnibus etiam in infirmitate cum periculo vitæ ad conservandum bonum commune Religionis, ut docet Vasq. contra Sanch. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 136., & tract. 4. resol. 32.

III. Quod autem excusetur a peccato, qui metu gravis incommodi transgreditur leges, Naturalem, & Divinam non prohibentes aliquid intrinsece malum, patet; Nam lex præcipiens restitutionem est naturalis, & tamen non obligat cum longe majori proprio detrimento, quia non est intrinsece malum in tali circumstantia retinere alienum: Integritas materialis confessionis præcipitur jure Divino; quod tamen non obligat cum gravi incommodo; Sicut nec lex Divina præcipiens confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, nec lex Divina naturalis præcipiens voti adimpletionem. Non potest tamen certo definiri, qualis damni metus, seu periculum excuset ab his legibus; Nam lex, quæ strictius obligat, requirit periculum majoris damni, ut excuset; ex materia autem præcepta, & ex sensu fidelium, & Doctorum argui potest, quænam lex strictius obliget.

Ex dictis sequitur, non peccare, & communiter nec excommunicationem incurrere, qui metu mortis non desert Sancto Inquisitionis officio denunciandos; peccare vero milites, qui metu mortis a statione discedunt, aut non pugnant contra præceptum Principis cum Urbis periculo.

IV. Sequitur secundo, peccare excommunicationem vitandum, qui metu mortis simulat administrationem Sacramenti pœnitentiæ, cum sit intrinsece mala simulatio talis Sacramenti; quod certe ex defectu jurisdictionis ab eo valide conferri non potest. Qui vero simulat urgente metu gravi contractum matrimonii, non peccat; quia Sa-

Pars I,

cramentum matrimonii est accessori-um contractui, & quilibet contractus potest urgente metu gravi simulari. Præterquamquod, qui simulat contractum matrimonii, non ponit materiam, & formam Sacramenti; sicut qui simulat Sacramentum pœnitentiæ, aut aliud Sacramentum, ut fufe diximus in Trutina thesium damnatarum exponendo thesim vigesimam nonam ab Innoc. XI. prosriptam, quæ habet: *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi*. Adde, quod quamvis non peccet, qui metu mortis injuste ad matrimonium extorquendum incusso, vere vult contrahere matrimonium; (tunc enim non fingit, nec mentitur, quia vere vult quantum est ex se contrahere) at juxta probabiliorem opinionem apud Sanch. lib. 7. disp. 5. num. 3. peccat, si metu mortis consummat, quia cum tale matrimonium probabiliter sit nullum propter impedimentum dirimens metus, accessus illam esset fornicatio, quæ est intrinsece mala: Quicquid alii sentiant, quod scilicet in tali casu metus cesset esse impedimentum dirimens, ne cogatur metum passus aut mortem subire, aut fornicari.

V. Sequitur tertio, non peccare Sacerdotem, qui metu mortis cogitur sine sacris vestibus celebrare; quia hoc lege humana præcipitur. Ita Sal., Beccan., Valent., Bonac.; quamvis peccet, si id faceret, quando in contemptum missæ, vel in odium fidei id præciperetur; quia hoc esset intrinsece malum. Non licet tamen Sacerdoti ad dandum Viaticum moribundo celebrare sine sacris vestibus, quia est præceptum etiam naturale, quod reverenter celebretur; nec satis est indigentia moribundi ad tollendam obligationem hujus præcepti naturalis, ut dicemus cum de Eucharistia.

VI. Sequitur ultimo, non peccare, qui

Q

qui



qui vescitur carnibus humani cadaveris aut in extrema necessitate, aut ad effugiendam mortem, quam alter minatur, ni comedat; cum hoc non videatur intrinsece malum; ut docent Sanch., Navar., Tolet., Sà, contra Azor., & Valent. Nec obstat, quod D. Th. comestionem carniū humanarum comparet fornicationi, quæ nullo modo licet. Nam comparatio, ut notat Sanch., stat in hoc, quod utrumque sit contra naturam; at non quodcumque est contra naturam, est in quacumque circumstantia prohibitum; Nam non restituere, & non adimplere votum sunt contra legem naturalem, & tamen licent aliquando ad vitandum grave damnum: Fornicatio autem, aut mollities in nullo casu licent, ut constat ex propositione 48., & 49. damnatis ab Innoc. XI. Præterquamquod sicut licitum est adhibere Mumiam in medicamentum, ita velut in medicamentum licitum est vesci carnibus humanis in necessitate extrema, Verbi gratia, si in obsidione Urbis deficiat annona, & solum ad vescendum sint carnes occisorum; Ad hoc tamen non tenemur, tum quia probabilis est sententia opposita, quod id sit intrinsece malum; tum etiam quia sicut non tenemur conservare vitam cum maximo dolore, puta cum scissione brachii, ita nec cum esu carniū humanarum, quod vix barbari brutis feriores faciunt. Hæc summam hic annotare sit satis: Qui plura, ac fusius enucleata velit, consulat, quæ hac de re diximus in primo ex Opusculis Theologico-Moralibus quæst. 4., ubi alius expendimus pluribus articulis, Quandonam metus gravis excuset transgressorem sive legum humanarum, sive legis Divinæ positivæ, sive legis naturalis.

VII. Quæritur secundo, Quanam impotentia excuset a legis observantia? Respondeo, impotentiam adimplen-

di præceptum excusare a peccato, nemo dubitat; cum nemo ad impossibile teneatur, ex leg. *Impossibile*: Duplex autem est impotentia, alia Physica, quam dicitur verbi gratia habere, qui in carcere detentus non potest egredi ad audiendum Sacrum; alia Moralis, quam habet, qui non potest egredi ad audiendum Sacrum propter periculum gravis damni, puta morbi, infamiæ, &c.; utraque autem a peccato excusat, juxta dicta superius; quia universim non obligat lex præsertim humana cum gravi incommodo.

VIII. Quæritur tertio, an peccet contra legem, qui voluntarie conjicit se in aliquod impedimentum, unde non possit legem adimplere: Verbi gratia, qui assumit ludum pilæ, ne teneatur ad jejunium? Sed de hac re fusè jam actum est art. 4. super. quæst.; Sicut etiam art. 3. ibidem. expendimus; Num impotens totum præceptum implere teneatur implere partem, quam potest?

IX. Quæritur quarto, Quanam ignorantia excuset legis violatorem?

Respondeo, hæc etiam de re plurima nos expendisse in eodem primo Opusculo Theologico-Morali de principiis Moralitatis, inquirentes in tertia quæstione. Quanam ignorantia circa leges, & præcepta tollat, aut minuat culpam? Quoniam autem in ea quæstione innumeræ erant difficultates enodandæ, idcirco pluribus articulis præcipuas, quæ negotium facessere poterant, suis rationum momentis pensavimus. Eas hic iterum in medium adducere supervacaneum est, & molestum. Solum hic innuo, quæ in iis articulis disceptantur, ut Lectori innotescat, ubi reperire possit, quæ scitu digna sint, & hic consulto prætermittimus. In primo itaque illius tertiæ quæstionis articulo inquiremus, Quid, & Quotuplex sit ignorantia; & quanam reddat actum involun-

luntarium, & a culpa immunem? In secundo, Utrum ignorantia invincibilis concomitans excuset a culpa relate ad malitiam objecti ignoratam? Et an actus internus conditionatus pravus, qui huic ignorantia saepe annectitur, trahat poenas in lege impositas? In tertio fit satis pluribus quaesitis; praesertim num irregularitatem, excommunicationem, & onus restitutionis incurrat, qui volens occidere Titium Clericum inimicum, occidit Cajum etiam Clericum amicum? Num teneatur ad restitutionem, qui volens comburere agrum Titii, comburit agrum Caji? Num ignorantia reservationis excuset a casuum reservatione? In quarto, An ignorantia invincibilis solius poenae excuset delinquentem ab ea incurrenda? In quinto, quando nam ignorantia dicenda sit invincibilis, etiam si proveniat ab ignorantis culpa; itaut excuset a poena legis transgressoribus imposita? In sexto, Num possit dari ignorantia invincibilis Dei, & Juris naturalis? Et quomodo enutriti in sylvis salvari possint? In septimo, Num ignorantia vincibilis culpam extenuet; & quomodo? Demum, Utrum peccata ex ignorantia vincibili commissa sint ejusdem speciei cum peccatis scienter commissis.

ARTICULUS V.

Utrum cessante fine legis negative cesset lex obligare?

- I. Si solum cesset finis legis inadaequatus, lex non cessat obligare.
- II. Si finis legis adaequatus cesset pro tota communitate, lex cessat simpliciter obligare; non secus ac votum cessat cessante ejus fine adaequato.
- III. Num cessante fine legis adaequato relate ad personam particularem

cesset lex; Eo modo, quo cessante fine legis adaequato relate ad totam communitatem pro aliquo tempore, cessat pro eo tempore lex obligare?

IV. Cessante fine legis contrarie, procul dubio cessat lex.

V. Quid si finis legis cesset solum negative? Num ea cesset, sicut cessat lex correctionis fraternae?

VI. Probabilius ea non cessat; eo quod non cesset periculum damnorum, quae lex vitare intendit.

VII. Rationibus in contrarium fit satis, praesertim paritati de fraterna correctione.

VIII. Hisce responsionibus occurrunt Adversarii.

IX. Conantur pariter satisfacere rationibus pro communiore, ac veriori sententia adductis.

I. **C**eleberrima quaestio inter Theologos morales est, An cessante fine legis cesset lex? Supponimus autem primo, finem legis, seu causam finalem, propter quam Legislator tulit legem, aliam esse adaequatam; ut si praecise ad scandalum vitandum prohibeatur delatio armorum; Aliam esse inadaequatam; ut si praecipiatur jejunium, tum ob macerandam carnem, tum ut Christum Dominum imitemur, tum propter ejus intrinsecam honestatem, & ut mereamur; singula enim ex his motivis sunt inadaequata, & constant motivum adaequatum. Certum autem est, quod si cesset finis legis tantum inadaequatus, non cesset legis obligatio.

II. Supponimus secundo, finem legis adaequatum posse cessare pro tota communitate, & posse cessare solum respectu casus particularis: Si cesset pro tota communitate, certum etiam est, ut docent communiter Doctores contra Sorum, quod cesset simpliciter legis obligatio; Et ratio est,

tum quia cessante causa, cessat effectus, ex Cap. *Cum Cessante, de Appellat.*; tum quia lex non obligat ultra voluntatem Legislatoris; Legislator autem non praesumitur velle, quod lex obliget cessante in totum causa finali legis: Tum demum quia in generali concessione non veniunt quae quis in specie non esset verosimiliter dispositurus; Legislator autem cessante causa finali adaequata respectu totius communitatis, verosimiliter non esset id dispositurus; ergo pro tali casu lex non obligat: Sicut obligatio voti cessat, cessante ejus causa finali adaequata; v. g. si vovisti non ingredi aliquam domum ob periculum, cui te exponeres ratione puellae ibi commorantis, mortua ea puella, poteris ingredi talem domum.

III. Quare solum remanet inquirendum, An si cesset adaequatus finis legis tantum respectu personae particularis, cesset pro illa legis obligatio? Verbi gratia, si prohibeatur delatio armorum praecise ad scandalum, & rixas vitandas, & respectu Titii nulum sit periculum scandali, aut rixarum, an Titius peccet arma deferendo? Sicuti enim si cesset finis adaequatus pro uno tempore, non pro alio relate ad totam communitatem, licet lex non cesset simpliciter, cessat tamen pro eo tempore, quo est inutilis communitati; ita videtur proportionaliter dicendum in casu.

IV. Supponimus tertio, dupliciter posse finem legis cessare; Primo negative, quando scilicet ratio legis non militat, sed servare legem non est malum; ut si prohibeatur commercium cum Saracenis ob periculum perversionis, & tu certe scias tibi nulum adesse periculum; quia tamen sine peccato potes abstinere a tali commercio, dicitur finis legis cessare negative: Contra vero dicitur cessare contrarie, quando observantia le-

gis in tali circumstantia esset peccaminosa, vel saltem intolerabilis, & multum incommoda, unde ratione Epikejæ censeatur talis casus exceptus, ut dicemus articulo sequenti, quia Legislator vel non potuit, vel noluit talem casum comprehendere in lege verbali: Verbi gratia, si tempore belli prohibeatur, ne portae aperiantur, & interim multi milites petant, ut admittantur, ne interficiantur ab hostibus, quos fugiunt, certe hic casus non censeatur in lege verbali comprehensus; unde ratione Epikejæ, seu æquitatis, (quæ ex D. Th. sonat emendationem legis) possunt portae aperi ad istos milites admittendos. Sic etiam lex restitutionis non obligat ad reddendum gladium Domino furioso, quando est periculum, quod inferat sibi, vel proximo damnum, eo quod cesset finis legis contrarie.

V. Quaestio itaque nunc procedit, An, si solum negative cesset finis legis adaequatus in casu particulari, cesset obligatio legis? In sequenti deinde articulo inquiremus de cessatione finis Legis contrarie.

Affirmant aliqui cum Panorm. & Gran., Comit., Navar., Megal., Cajet., Henr., Ledesm., Sà, Sylvest., & aliis apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 28., & Pal. disp. 1. punct. 1. Ratio istorum est, quia sicut cessante fine legis respectu communitatis simpliciter, aut pro aliquo tempore, cessat legis obligatio; ita si cesset pro aliquo casu particulari; nam ratio legis est anima legis; unde sicut corpus sine anima non potest aliud movere, ita lex sine ratione legis non potest subditum obligare. Probatur idipsum a pari; tum quia lex correctionis fraternæ juxta omnes non obligat, quando non est ulla spes emendationis; nam cessat finis adaequatus talis legis, qui est emendatio fratris; Tum etiam quia, quando lex ali-

aliqua verbalis ita viget pro potiori parte Regni, ut pro notabili parte ejusdem Regni non vigeat, (verbi gratia si pro una Provincia, aut Diocesi sit inutilis, aut contraria consuetudine abrogata) certe relate ad talem Provinciam, vel Diocesim dumtaxat deficit obligatio legis; ergo etiam in casu nostro; Nam si lex aliqua, verbi gratia, prohibeat Religiosis, ne se ad fenestras ostendant, videtur non peccare, qui media nocte in tenebris densissimis, ac pluvio tempore ad fenestras accedit, quando nec videre, nec videri potest; non quia talis casus per Epikejam videatur exceptus, cum non cesset finis legis contrarie; sed quia cessat finis legis negative. His argumentis probabiliter suaderi potest hæc opinio.

VI. Communius tamen oppositum docent cum Suar., Vasq., Sanch., Molin., Laym., Kon., Pal., Bonac., Merol., Rebel., Becan., Reginald., Sal., Sot., Salon., Medin., & aliis apud eundem Dian. Ratio est, tum quia lex non respicit casus particulares, sed ea, quæ communiter contingunt, ex leg. *Ea qua raro*, ff. de *Regulis juris*; Verbi gratia, non prohibetur delatio armorum ad has, vel illas rixas vitandas, sed ad vitandas rixas, quæ communiter possunt accidere; atqui licet hic, & nunc non subsit periculum rixæ, adhuc communiter contingere possunt rixæ; ergo adhuc ratio legis, & consequenter lex subsistit, & obligat.

Confirmatur, quia aliter innumera sequerentur absurda; Possent enim, verbi gratia, matrimonium licite contrahi, non præmissis denunciationibus, quando sponsi certo scirent nullum subesse impedimentum; Possent legi libri Hæreticorum a viro docto, & sancto, qui legendo illos non incidit in periculum imbibendi hæresim; Possent ingredi Monasteria Monialium vir pro-

bus, qui in spiritualibus exercitiis Moniales instrueret sine ullo periculo; nam finis legis vetantis ingressum est, ne Moniales a spiritualium rerum cogitatione avocentur, & ut scandala, & pericula removeantur, ut habetur in Bulla Gregor. XIII. Similiter si prohibeatur Scholaribus serico uti, ne exhauriantur opes paternæ, qui certo scit opes paternas non idcirco minui, posset serico uti sine licentia; quod sane scandalosum esset, quamvis ab aliis sciatur, finem legis pro eo cessare. Præterea liceret etiam fornicatio, quando cessaret finis legis illam prohibentis, videlicet si nullum sit periculum malæ educationis prolis.

Probatur demum a priori hæc sententia, quia nunquam cessare potest finis adæquatus legis in casu particulari; Legislator enim vult, legem servari, etiam quando cessat finis adæquatus immediatus, ob finem universaliorum, & mediatum, qui est, ut partes conformentur toti, quando sine incommodo, & peccato servari potest lex; hic enim finis est honestissimus, idque expedit bono publico, ne leges passim violentur.

VII. Hinc respondetur rationibus contrariæ sententiæ: Nam quando cessat finis legis in totum, aut pro aliquo tempore, aut simpliciter, ideo cessat tunc obligatio legis, quia non remanet ille alius finis universalior, quod partes conformentur toti, quod bono publico expedit, & bono privato non nocet: Contra vero hic finis remanet in casu nostro; & ideo in casu nostro remanet anima legis, quæ obligat subditos, videlicet ratio, seu finis legis universalior, & mediatum. Adde, quod quando cessat finis legis pro tota Communitate, cessat non negative, sed contrarie; non quia sit peccatum id, quod præcipitur, sed quatenus injuste præcipitur: Verbi

gra-

gratia, si imponatur tributum, vel jejunium præcisè ob aliquam necessitatem, puta ad reparandam inundationem fluminis, si statim celsset ea necessitas, celsset obligatio, quia injusta esset lex ista, quæ imponit tributum ob necessitatem non existentem; Et jejunium licet possit a Legislatore intendi propter ejus honestatem, at cum præcisè ob necessitatem urgentem imponatur, celsante tali necessitate est inutile ad talem finem, & consequenter injuste præciperetur in ordine ad talem finem; & per accidens est ad rationem legis, quod jejunium sit utile ad alios fines non intentos a lege.

Ad primam paritatem correctionis fraternæ respondet Covar. dicendo, legem naturalem correctionis fraternæ esse latam in bonum privatum singulorum; unde si alicui non est utilis, quia non est spes emendæ, relate ad illum non obligat: Contra leges humanæ feruntur in bonum Communitatis, itaut obligent, etiam si alicui privato sint noxiæ, ut leges tributorum, & leges taxantes taxam pretii: ergo quamvis relate ad aliquem particularem celsset finis legis, quia non celsset relate ad bonum Communitatis, adhuc obligat in eo casu particulari. Immo hinc pro hac sententia bene arguitur a pari dicendo: Non minus lex debet esse utilis, quam debet esse ex fine honesto, qui sit anima legis; sed quamvis lex alicui particulari sit noxia, adhuc illum obligat, si lex sit utilis Communitati; ergo quamvis relate ad aliquam particularem personam celsset finis legis, adhuc illam obligat, si non celsset finis legis relate ad totam Communitatem.

Respondet secundo Merol. cap. 17., legem correctionis fraternæ esse positivam, quæ non obligat semper, & ad semper, sed pro determinatis cir-

cumstantiis, quando scilicet est proximo proficua: Sicut lex eleemosynæ obligat ad dandum pauperi extreme indigenti eleemosynam illi proficua; aliter non obligat; E contra lex, seu præceptum negativum obligat etiam in circumstantiis, in quibus servari potest sine peccato, nisi aliud suadeat Epikeja.

Ad secundam paritatem respondetur, quod sicut lex aliquando est divisibilis ratione materiæ; ita ut si duo præcipiat, & alterum evadat inutile Communitati, alterum remaneat utile, tunc solum obliget secundum id, quod est Communitati utile; ita obligat divisibiliter relate ad Communitatulas; unde si uni Provinciæ lex sit utilis, non alteri, illam dumtaxat obligat: Contra vero, non obligat divisibiliter relate ad personas particulares, quia essentialiter lex respicere debet Communitatem.

VIII. Hæc diximus ad stabiliendam communem sententiam, quod celsante negative fine legis in particulari non celsset lex. Qui tamen oppositam sententiam tuentur, dicunt ad paritatem correctionis fraternæ, non dari manifestam disparitatem neque a Covar., neque a Merol.; quia lex correctionis fraternæ etiam est in bonum Communitatis, & obligat, quamvis sit onerosa, & sit damnosa corrigenti, si sit spes emendæ; Unde si non obligat celsante spe emendæ, ideo est, quia celsante fine legis in particulari celsset lex. Præterea sicut quia lex positiva correctionis fraternæ tantum obligat in circumstantiis, in quibus non celsset finis correctionis; ita aliæ leges positivæ non obligant, nisi in circumstantiis, in quibus non celsset finis talium legum; nec est ratio, cur non idem dicatur de lege negativa.

Ad rationem a priori respondent, legem, & Legislatorem non habere finem illum universaliorem, & extrinsecum,

secum, quod pars conformetur toti, quando cessat finis immediatus legis in casu particulari; Nam hoc non est utile, sed damnosum communitati, eo quod singulos obliget, & aggravet in casu, quo cesset finis legis absque ulla utilitate; cum non obtineatur in eo casu finis directus a lege intentus, ratione cujus lex subsistit; Hinc dicunt, cessante fine directo, & immediato legis, cessare animam legis, & sic legem non obligare; quia si præcise obligaret, ut pars conformetur toti, eo ipso obligaret singulos sine ulla utilitate, aut bono communitatis; non enim est bonum Communitatis; quod pars conformetur toti, quando in parte cessat ratio, cur toti conformetur, & nullum adest scandalum; Aliter etiam præceptum correctionis fraternæ deberet obligare semper, ut pars toti conformetur.

IX. Ad primam rationem respondent, verum quidem esse, quod finis legis prohibens arma sit vitatio rixarum, quæ communiter contingunt; at si hic, & nunc cesset periculum rixarum, cessat relate ad hunc casum ratio legis; sicut finis correctionis fraternæ est emendatio delictorum, quæ communiter contingunt, seu ut vitetur persistens in delictis, quæ persistentiæ communiter contingunt præcisa correctione fraternæ; & tamen si hic, & nunc aut non sit delictum, aut non sit spes emendæ, seu spes, quod frater non persistat in delicto, cessat relate ad hunc omnino finis legis, & ideo lex non obligat: Et idem dicas de præcepto elemosynæ.

Ad absurda, quæ adducuntur, respondent intrepide, quod in iis casibus, in quibus cessat adæquatus finis, & cessat scandalum, cesset etiam legis obligatio. Sed negant, in omnibus iis casibus vel adæquatum finem legis, vel scandalum cessare. Quomodo enim cessaret scandalum, si vir

probus sine licentia ingrederetur Monasteria Monialium, præcise quia cessat finis ille intentus a Legislatore? Fornicatio cessante illo sine malæ educationis prolis est illicita, cum non cesset alius finis prohibitionis; Etenim natura sua fornicatio est intrinsece mala, quia aliter quilibet neglecto contractu matrimoniali facile fornicationi incumberet contra finem naturæ rationalis ad cœlestia capeßenda creatæ. Demum finis prohibendi lectionem librorum hæreticorum non est solum ad vitandum periculum subversionis, seu ad securitatem legentium; sed etiam solet esse (quamvis non semper, ut advertit Caramuel contra Diam) ad punitionem Auctoris; Quod ex eo constat, quia incurrit excommunicationem, qui legit librum Hæretici ex professo de Religione tractantem, quamvis nullum errorem contineat, ut habetur in Regulis Indicis; Tertius finis solet esse, præter securitatem legentium, etiam securitas aliorum, in quorum manus liber potest pervenire. Unde Nazianzenus dixit, Hæreticorum libros tanquam aspidum ova esse perdendos, ad securitatem scilicet totius Reipublicæ. Quartus finis esse potest, ne aliquis se decipiat, dum invincibiliter putat se securum, cum revera non sit securus. Quare dicendum cum sententia communiori contra nonnullos paucos, nulli quamvis docto, & sancto licere lectionem librorum prohibitorum, quia non cessat finis adæquatus legis respectu talis lectoris: Immo etiam nuda istorum librorum retentio est peccaminosa, ut constat ex thesi 45. ab Alex. VII. proscripita, quæ habet: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Et idem dicas de similibus legibus; Negatur tamen, quod si finis adæquatus legis cessaret respectu personæ particularis, scandalosum esset

esset legem non servare, si omnibus idipsum constaret, quod ideo lex non servatur, quia cessat pro tali persona finis legis adaequatus; Quomodo enim potest scandalum parere, sequi opinionem probabilem? Possit tamen Legislator sequens opinionem contrariam probabiliorem, transgressorem hunc suae legis punire.

### ARTICULUS VI.

De Cessatione finis legis contrarie;  
ubi de Epikeja.

- I. *Quid sit Epikeja, & quomodo ea utendum, quando finis legis cessat contrarie?*
- II. *Epikeja habet etiam locum, quando actus praecipuus est arduus, quamvis non cesset contrarie finis legis.*
- III. *Finis legis cessat negative, quando in casu particulari cessat ratio Legis, quae tamen sine incommodo servari potest; at cessat contrarie, si sine gravi incommodo servari non posset.*
- IV. *Ad usum Epikejae satis est probabilitas excusationis, esto non detur evidentia; Dubium tamen de excusatione non est satis ad talem usum.*
- V. *Locum habet Epikeja non solum quando probabile est, quod non potuerit in tali casu Legislator obligare, sed etiam quando probabile est, quod voluerit.*
- VI. *Quid si lex sit ardua, ac dubitatur, num voluerit pro tali casu obligare Superior, qui consuli non possit? Num ea dicenda sit lex dubia, quae non obliget?*

I. **D**iximus, Epikejam, seu aequitatem idem sonare, ex Aristot. 1. Ethic. 10., ac legis emendationem, seu benignam legis interpretationem; Cum enim lex respiciat ca-

sus communiter contingentes, relate ad quos est iusta, & possit accidere casus, relate ad quem lex ratione circumstantiarum sit iniusta; (unde finis legis cesset contrarie, puta si reddendus sit gladius Domino furioso, qui eo abuturus sit in sui, vel aliorum perniciem) idcirco in tali casu Epikeja emendat legem universalem restitutionis, & dicitur, gladium non esse restituendum; quia noluit, & saepe non potuit pro tali casu Legislator obligare ad restituendum alienum.

II. Quæritur nunc primo, Utrum tunc solum habeat locum Epikeja, quando lex in aliquo casu particulari ita deficit, ut illam servare sit peccatum, (ut in casu adducto, si reddatur gladius Domino furioso) an possit etiam habere locum in alio casu, in quo illam servare non esset malum; Verbi gratia si præcipiatur jejunium, & non possit aliquis sine gravi incommodo, possit tamen sine peccato jejunare.

Respondeo, Cajet. putare, quod Epikeja habeat locum dumtaxat, quando servare legem est peccatum, seu quando finis legis cessat contrarie: Cum enim Epikeja idem sit, ac legis emendatio, quatenus in casu particulari peccat lex præcipiens in universali, quia hic, & nunc præciperet malum, unde lex esset corrigenda; ideo tunc Epikeja habet locum, quando servare legem est malum, seu peccatum. Sed communis sententia cum Suarez. lib. 6. cap. 7. docet, saepe etiam excusari hominem a legis generalis observatione ratione Epikejae, etiamsi actus præceptus non sit malus, dummodo sit adeo gravis, ut rationabiliter putetur noluisse Legislator, etiamsi potuisset, lege illa universali hunc casum comprehendere; ut dictum est de præcepto jejunii, quod non obligat in casu gravis incommodi, quamvis aliquando posset homo etiam cum gravi incom-

incommodo jejulare sine peccato cedendo juri suo. Ratio est, quia non solum Legislator inique ageret præcipiendo sua lege universaliter actum de se bonum, etiam pro circumstantiis, in quibus esset malus, sed etiam sæpe inique, & inhumaniter ageret, si vellet hujusmodi actum præcipere, etiam pro circumstantiis, in quibus esset nimis onerosus operanti; præciperet enim quando, vel quomodo non debet, seu cum majori rigore, quam par est; quod non est præsumendum de Legislatore, qui non solum debet recta, sed etiam recte præcipere: Unde in utroque casu lex peccaret, atque adeo in utroque casu habet locum Epikeja, seu emendatio legis; Lex enim generalis videtur comprehendere quemcumque casum particularem, & sic peccaret comprehendendo talem casum; Epikeja vero, seu virtus æquitatis peccatum hoc legis emendat, excipiendum casum, qui ratione circumstantiarum excipiendus esset; quod non potuit expresse facere Legislator, cum non possit ad omnes casus particulares descendere.

III. Hinc dixit D. Th. 2. 2. quæst. 120. art. 1., & 2. munus Epikejæ esse, prætermisissis verbis legis, intentionem Legislatoris sequi, moderando, & interpretando legem eo modo, quo ipse Legislator in talibus circumstantiis rogatus esset moderaturus, & interpretaturus legem suam. Ex quo apparet, in quo sensu verum sit, quod cessante fine legis negative, possit ratione Epikejæ cessare obligatio legis: Nam in eo casu, in quo cessaret negative finis legis, & cessaret scandalum, sed nimis gravis esset alicui observantia legis, rationabiliter creditur, quod noluerit Legislator pro tali casu obligare; unde ratione talis gravis incommodi cessaret finis legis etiam contrarie; & sic habet locum Epikeja; Exempli gratia, si prohibeatur sub

*Pars I.*

pœna excommunicationis extractio librorum ex Urbe sine licentia, idque ad eum finem dumtaxat, ne inter illos reperiat aliquis prohibitus, & mihi certum sit, librum, quem extraho, non esse prohibitum, & simul sit valde onerosum expectare, quousque licentia obtineatur, possum ratione Epikejæ librum extrahere, benigne interpretando mentem Legislatoris, quod noluerit, quamvis potuisset, hunc casum comprehendere; Cessaret autem in tali casu finis legis non solum negative, sed etiam contrarie, ratione incommodi in expectanda licentia, quatenus peccaret lex, si talem casum comprehenderet: Quod si sine ullo incommodo possem licentiam obtinere, tunc diceretur cessare finis legis solum negative, & juxta communiorem sententiam non posset sine licentia talis liber, etiam si essent Biblia Sacra, extrahi, quia præsumitur, quod Legislator voluerit obligare ad petendam licentiam pro quocumque libro, etiam Sacro, quando ea potest sine incommodo obtineri; tum ut omnes subeant idem onus legis, & pars conformetur toti; tum ad vitandum periculum, ne aliquis decipiat credens cessare finem legis adæquatum, cum sæpe non cesset.

IV. Quæritur secundo, Utrum ad utendum Epikeja requiratur certitudo, an satis sit probabilitas excusationis? Respondeo, certum esse primo, quod si casus aut certo, aut probabiliter, aut etiam sub dubio invincibili non contineatur verbis legis, lex non obliget, quia ad obligandum requiritur certitudo legis comprehendentis casum; Quoties enim dubitatur, an pro aliquo casu lata sit lex, melior est conditio libertatis, quæ est in possessione. Certum est secundo, quod si casus comprehendatur quidem verbis legis, sed ratione circumstantiæ sit manifeste malus, ut est restitutio gladii

R

Domi-



Domino furioso, non requiratur licentia, seu auctoritas Superioris ad legem non servandam; quia lex non potest ad malum obligare, & in manifestis non opus est interpretatione, sed excusatione, ut loquitur D. Th. 2. 2. quaest. 120. art. 1., & 2. Certum est tertio, quod si casus comprehensus verbis legis procul dubio sit adeo gravis, ut manifestum sit Legislatorem noluisse illam extendere ad talem casum, quamvis possit subditus sine peccato talem legem observare, potest etiam sine licentia Superioris propria auctoritate legem non servare; quia cum manifestum sit, legem non obligare, manifestum est subditum non peccare illam non servando.

His positis, ad quaesitum dico, quod si probabiliter tantum credatur Legislator aut non potuisse, aut noluisse in tali casu verbis legis comprehenso obligare, possit etiam subditus licite in eo casu legem non servare: Ratio est, quia unusquisque potest licite operari secundum opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, ut hic supponimus. Unde id verum est, non solum si subditus habeat formidinem de opposito, sed etiam si detur ex altera parte probabilitas, immo major probabilitas, quod Legislator potuerit, ac voluerit ad talem casum obligare, ut docet Suar. lib. 6. de Legib. cap. 8. num. 3., & tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 6. ac Sanch. lib. 1. cap. 9. num. 14., & lib. 6. cap. 3. num. 7.: Sicut enim potest quilibet sequi opinionem probabilem, verbi gratia tacendo circumstantiam peccati variantem speciem in Confessione, ne revelet complicem, omissa opinione probabiliori, quod teneatur ex praecepto Divino illam circumstantiam aperire, etiamsi complex revelandus sit; Ita potest sequi opinionem probabilem, quod noluerit Legislator pro tali casu obligare,

relicta opinione probabiliori, quod voluerit.

Neque dicas, in casu nostro esse in possessione legem ipsam, quae clare comprehendit hunc casum, & dubitari, an Legislator voluerit pro eo casu obligare. Nam verum quidem est, quod si dubium esset negativum, standum esset pro lege, quae stat in possessione, & sic subditus teneretur obedire; At quando dubium est positivum, seu quando est probabilitas, quod noluerit Legislator obligare, potest subditus hanc opinionem, dummodo sit vere ac solide probabilis, sequi, relicta probabiliori: Sicut potest, ut diximus, ex opinione probabili tacere circumstantiam variantem speciem, ne revelet complicem, relicta opinione opposita probabiliori; quamvis talis casus comprehendatur verbis legis obligantis ad aperiendas circumstantias mutantem speciem. Quare si aliqui Doctores facientes opinionem probabilem dicant nolle Legislatorem obligare ad missam audiendam cum tali incommodo, verbi gratia, quod a te conficiatur pedibus iter trium milliariorum ad illam reperendam, & plures alii Doctores sustineant oppositum, poteris licite missam non audire, quamvis possis illam ex supererogatione audire, & consultius sit opinionem probabiliorem sequi.

V. Vasq. part. 2. disp. 176. cap. 3. putat, quod in primo modo Epikejæ, seu quando casus excipitur ex defectu potestatis in Superiore, tunc si habeatur iudicium probabile, quod non detur talis potestas, possit subditus uti Epikeja sine recursum ad Superiorem; quia in tali casu interpretatio potestatis non est petenda a Superiore, sed a Doctoribus, & a principis Theologiae, & juris: At in secundo modo Epikejæ, quando scilicet casus excipitur ex voluntate Superioris, tunc si solum iudicium probabile de-

detur, quod Superior noluerit pro tali casu obligare, teneatur subditus ad Superiorem recurrere, ut explicet mentem suam, aliter tenetur legem servare. Ratio est, quia si certa est lex comprehendens hunc casum, & solum habetur iudicium probabile, quod Legislator nolit in hoc casu obligare, præferenda sunt verba legis, quæ jus suum obligandi possident; aliter infinita sequerentur incommoda.

Suar. tamen loc. cit., & Merol. cap. 8. num. 40. docent, in utroque casu Epikejæ satis esse opinionem probabilem ad excusandum subditum a legis obligatione, si non possit hic Superiorem consulere de ejus voluntate; quia universim iudicium probabile sufficit in rebus moralibus ad prudenter, & consequenter ad licite operandum; Etenim alius operandi modus est ultra humanam conditionem, & prudentiam; cum fere omnis cognitio humana, præsertim in agilibus, sit solum conjecturalis. Ad rationes in contrarium negat Suar., ullum hinc inconveniens sequi, nisi forte abusum operantis; immo multo majora sequerentur absurda, si non posset homo in agilibus sequi opinionem certo probabilem. In dubio autem negativo, non in positivo, melior est conditio possidentis, ut diximus. Quare sicuti si certa sit obligatio audiendi, verbi gratia, missam, satis est opinio probabilis, quod satisfeceris, aut quod sic, vel sic satisfacias; ita quamvis certe verba legis hunc casum comprehendant, satis est opinio probabilis, quod Legislator nolit pro tali casu te obligare, ut non tenearis: Verba enim legis sine intentione Legislatoris non obligant; Circumstantiæ autem occurrentes sæpe suadent, quod aliquis casus non comprehendatur ex vi verborum legis sub intentione Legislatoris, quamvis comprehendatur sub signifi-

catione verborum.

Docet autem jure merito Suar. lib. 6. cap. 9. num. 9. cum Cajet. contra nonnullos Canonistas apud Merol. num. 48., quod quando potest consuli Superior, non sit utendum iudicio probabili de voluntate Legislatoris eximendi a lege hunc casum; tum quia hic est usus piorum, & prudentium; tum etiam quia inordinatum est uti conjecturis, & propter illas solas relinquere verba legis, ubi potest certo constare de voluntate Legislatoris.

VI. Quæritur tertio; An in dubio, num voluerit Legislator aliquem casum sua lege generali comprehendere, teneatur subditus legem servare?

Respondeo, certum esse apud omnes, quod in dubio debeat consuli Legislator, si potest; aliter servanda lex sit; quia in tali dubio melior est conditio legis possidentis. Quod si Superior consuli non possit, aliqui cum Sylvest., Cordub., Henr. apud Merol. num. 5. putant dari locum Epikejæ; quibus consentit Sal. tract. 8. disp. 25. num. 290., & Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. Epikeja, si gravis, & onerosa sit legis adimpletio; quia benignitas Legislatoris non fert, quod subditus obligetur cum tanto onere in casu dubio; nimis enim durum videtur obligare homines legibus non certis. Communis tamen sententia apud Pal. lib. 1. disp. 3. punct. 8., docet legem servandam esse, & Suar., Sanch. Vasq. docent, Sylvest., Cordub., & Henr. contrarium opinantes intelligendos esse de dubio positivo, seu quando est probabile iudicium, quod legislator noluerit talem casum comprehendere; quamvis Sal., & Tambur. loquantur solum de dubio negativo. Ratio communis doctrinæ est, quia possessio stat pro lege certe comprehendente suis verbis talem casum, & dubium est, an Legislator noluerit, aut non potuerit ad id obligare. Sic conjux, ver-

bi gratia, dubitans de obitu prioris conjugis tenetur reddere debitum praesenti conjugii, quia jus praesentis conjugis est certum, & dubium est, an sit illicita redditio debiti ratione conjugis superstitis; praevalet enim jus certum tali dubio: Cum hoc tamen bene stat, quod si adimpletio legis sit admodum onerosa, possit ex hoc capite dari locus Epikae, si prudenter existimetur, quod nolit cum magno incommodo Legislator in casu dubio obligare.

Neque dicas; Quotiescumque lex est dubia, non obligat; ergo si dubium

fit, an hic casus lege comprehendatur; nec datur obligatio pro tali casu; quia dubitatur hic, & nunc de lege.

Respondeo enim, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia si datur dubium de tota lege, non possidet lex, sed libertas, unde in dubio melior est conditio libertatis; Contra tamen in casu nostro lex certe comprehendit hunc casum, atque adeo possidet jus obligandi; unde in dubio, an Legislator voluerit in tali casu obligare, servanda est lex.

## Q U A E S T I O VII.

### De Consuetudine.

**D**iximus, Consuetudinem esse legem non scriptam, quae longo, & continuo usu nascitur; & in eo a lege scripta differre, quod haec initium habeat a voluntate Legislatoris signo externo manifestata; Illa vero initium habeat ab actibus continuatis, quibus accedat saltem implicite Principis voluntas. Quarendum nunc primo, Quid, & quotuplex sit consuetudo? Secundo, Quanam sint ejus conditiones? Tertio, Quanam valeant consuetudinem inducere? Quarto, Quanam sint ejus effectus? Ultimo, Quomodo abrogetur, seu mutetur.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Consuetudo?

- I. Consuetudo sumpta pro facto est Frequens usus; Sumpta vero pro jure est Lex non scripta.
- II. Explicatur consuetudinis definitio, & plura inde deducuntur.
- III. In quonam ea differat ab usu frequenti, a stylo fori, & a Praescriptione?
- IV. Consuetudo alia est Canonica; alia civilis. Dividitur etiam in Communem, Nationalem, & Municipalem.

V. Necnon in eam, quae est juxta legem, Praeter legem, & Contra legem.

VI. Num possit Consuetudo dari contra jus Gentium?

**S**umi potest consuetudo vel pro facto, vel pro jure; Si sumitur pro facto, prout sumitur in cap. De Constitution. in 6., est ipse frequens usus; Si pro jure sumatur, est Lex non scripta, de qua in praesenti agimus.

II. Quarendum itaque primo, quomodo consuetudo sumpta pro jure definiatur?

Respondeo, communiter definitur cum